

Q.K. 430, 17.

X 23A6419

IIg  
580

DE

# CVRA GRAECORVM VETERVM

QVAM IN EDVCATIONEM FILIO-  
RVM IMPENDERVNT  
PAVCA PRAEFATVS

## IVVENES BONIS LITTERIS DEDITOS

AD AVDIENDAS IN CAROLINO  
ANTIqvITATES GRAECAS  
INVITAT HUMANITER

M. IO. DAVID HEVMANNVS,  
COLLEGII CAROLINI PROFESSOR EXTRA ORDINEM PUBLICVS,  
ET GYMNASII DVCALIS CATHARINIANI  
CORRECTOR.

BRVNNSVIGAE LITTERIS MEYERIANIS.



1745





## Q. B. V. D.

**A**ntiquissimae quaeque gentes, quibus curae cordique fuit salus publica, omnem curam, cogitationem ac studium in eo collocarunt, ut iuuentus iis artibus, sine quibus respublica florere non posse videbatur, instrueretur atque imbuueretur quam optime. Litterarum monumenta, quae ad tempora nostra peruenierunt, satis illud docent, nec quenquam, qui accuratiore ea triuerit lectione, id negaturum esse confido. Ego quidem huic temporis conueniens esse puto, pauca de veterum Graecorum ratione liberorum suorum educandorum proferre in medium. Ut enim Graeci alias gentes doctrinae sapientiaeque studiis longe anteibant, sic in formandis filiorum ingeniis, quo aliquando in commune possent consilere, omnes cogitationes figere videbantur. Pueros, quam primum incedere poterant, paedagogorum fidei tradebant atque committebant, qui eos comitabantur, nec vñquam a suo latere discedere patiebantur: qua ratione et illorum sanitati, ne ea quicquam detrimenti caperet, consulebatur. Idem illorum actiones diligenter animaduertebant, ne quicquam susciperent, quod decoro aut honesto repugnaret, et, si perperam aliquid fecerant, puerorum mores corrigebant, et eos monendo, hortando castigandoque a vitiis reuocabant, animosque virtutis ac honestatis amore imbuebant. Vnusquisque curam hanc, quam Graeci ad educandos pueros adhibendam curarunt, omni laude dignam habebit, qui modo perpendit, pueros solos relictos perulantiae, somnolentiae, lasciviae, aliisque vitiis plerumque litare. Ac tandem paedagogos in Grammaticorum scholam illos deducere, finitaque illa domum reducere oportebat: quo pacto illis nulla copia ludi litterarii negligendi aut discurrendi dabatur. Grammatici pueros legendi recte ac scribendi artem docebant. Aristoteles enim Grammaticam ἐπισήμων τῷ άριστῳ μάθησεν καὶ γράψει definiit. Quod autem ad illius partes attinet, alii eas augent, alii minuunt. Ex ipsa definitione partes quam optime posse

se constitui, puto. Prima agit de vocum recta pronuntiatione, quam ἐγένεται, altera de recte scribendi facultate, quam ὁρθογραφίαν appellabant. Οὐδέποτε vel voces simplices vel cum aliis coniunctas considerat. Si tantum simplices, ad illam ἀναλογίαν, ἀνωμαλίαν et προσωδίαν, si autem coniunctas, συντάξιν referebant. Successu autem temporis Grammatici omnes illas, quae ad Philologiam pertinebant, sibi vindicabant artes, maioremque Grammaticae dabant operam. Ex quo aliae eius diuisiones sunt enatae, quas tandem nominasse sufficiat. Alia quippe erat Grammatica methodica *a*) siue technica, quae auditores paulo exercitatiores postulabat; alia exegetica siue historica, *b*) quae vel obscuritates in verbis vel rebus latentes explicabat, ac tandem critica *c*) seu mixta, quae emendatione correctioneque auctorum constabat. QVINTILIANVS *d*) has partes Grammatices videtur agnoscere, *Haec igitur, inquiens, profeso scilicet grammatica, cum breuisime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poëtarum enarrationem; plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus est iudicium: quo quidem ita senere sunt usi veteres Grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso videntur inscripti, tanquam subditios submonere familia permiserint sibi: Sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Cicero *e*) grammaticis tribuit poëtarum per trattationem, historiarum cognitionem, verborum interpretationem, pronuntiandi quendam sonum. Qui prima tantum litterarum elementa artisque grammaticae primordia docebant pueros, eos alii vocant Grammatistas; qui autem grammaticae partes modo dictas tractabant, secundum excellentiam appellant Grammaticos. Sunt, qui litterarum, inquit Suetonius, *f*) a litteratore distinguunt, ut Graeci Grammaticum a Grammatista: et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existimant, quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Quod si igitur discriben illud inter Grammatistam et Grammaticum factum admittimus, nemo facile constituet, ad quam classem Phemius, Homeri praceptor, et Thestocides, qui eodem fere tempore floruit, scholaeque doctor fuit, sint *g*) referendi. Eruditio vero, quam Graeci in

Gram-

*a*) Vid. Sextus Empiricus L. I. c. IV. §. 91. 92.*b*) l. c. cap. III.*c*) L. I. adv. Gramm. c. III. §. 79.*d*) Inflit. orat. I. IV. 2. sq.*e*) de Orat. L. I.*f*) de illustr. Gramm. IV. 3.*g*) Vtriusque mentionem facit Herodotus in Vita Homeri.

Grammaticorum scholis addiscebant, sola parum vtilitatis attulisset publicae rei, nisi cum aliis disciplinis eam conitunxissent. Qui itaque illam aliquando capessere volebant, Rhetorum obibant scholas quam diligentissime, vt apte ornateque dicere, plebemque imperitam, apud quam dicendi facultas plurimum valet, continere, siusque in partes pertrahere possent. Tria erant dicendi genera, in quibus fese exercebant: primum, quo suadebant aut dissuadebant; alterum, quo laudabant aut vituperabant; tertium, quo accusabant aut defendebant. *Quod qui faciebant, vt verbis Ciceronis b) vtar, plurimum gratiae consequebantur, latisimeque eorum manabat industria.* Linguarum autem licet cognitio atque eloquentia magnam habeant vtilitatem pariter ac iucunditatem, multo tamen maior vtraque est, si studium sapientiae i. e. philosophia, voluntatisque ac intellectus accedit emendatio. Filii itaque Graecorum scholas Philosophorum frequentabant, et praceptis bene beataque viuendi imbuebantur. In omnibus fere Graeciae vrbibus celebrioribus philosophi iuuentutem docebant, illique viam ad consequendam felicitatem muniebant. Athenis tamen in primis studium philosophicum vigebat et quasi certatim excolebatur. Tria ibi Gymnasia magnam celebritatem sunt consecuta, *Academia* scilicet, quam Plato occupauerat, academorumque erat antesignanus; *Lyceum*, in quo Aristoteles docebat, qui peripateticorum auctor extitit; et *Stoa*, quam Zeno sibi elegerat, nomenque suis discipulis dabat Stoicorum. Aemulatio alios quoque accendebat, vt suum nomen celebrius illustriusque facerent, penitusque se philosophiae darent: ex quo factum est, vt plures philosophorum sectae ac disciplinae, quas omnes enumerare nimis foret longum, sint exortae. Corinthi suum habebant Gymnasium Cynici, quod *Cranium* vocabatur, quodque *Dicaearchus* illustravit. In insula Rhodo aequa Gymnasium famam celebritatemque consecutum est maximam, quod Pompeius ille Magnus ex Asia viator rediens ingressus philosophos de rebus variis subtiliter disputantes audiuit, et postea Posidonio grauiter aegrotanti domi dedit operam, qui lectulo licet affixus nihilo tamen feciis docte copioseque argumentum illud, nihil esse bonum, nisi quod honestum, exposuit. Singula Gymnasia suos habebant praefectos, quos apud discipuli nomina sua profitebantur: quo facto postea aliud frequentare, liberum eis haud fuisse videtur. Caeterum cum historia rerum gestarum memoriam conseruet, lectoresque suos iis praceptis, quae ad rem administrandam publicam faciunt, largiter impertiat, ac exempla aut fugienda aut sectanda suppeditet; graecorum iuventus litteris dita

dita nec illam negligebat, immo summo studio tractabat, scholasque historicorum frequens adibat. Historiae utilitatem grauiter commendat Plutarchus i): *Ne id quidem, inquiens, ignorent parentes eam partem institutionis, quae memoriam excusat, non ad eruditionem modo conducere, sed ad actiones civiles non modicum afferre adiumentum.* Nam praeteritarum actionum memoria exemplar praebet bene consulturo de futuris. A Cicerone k) vocatur *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.* Lucianus *isotides ἐργον καὶ τέλος τὸ χρηστόν* recte habet. Ex litterarum studiis ad gubernacula rei sedentes publicae ad eam bene administrandam magna capere emolumen-tum, nemo, credo, vocabit in dubium. Nec tamen illa satis felix esse posset, si aliae artes atque exercitia penitus abiicerentur. Quare alii ad mercaturam faciendam, quae vnius generis non fuit, appellebant animum. Mercium, quibus egebant, inuestio vel iumentorum vel nauium ope fiebat; illam *πορτηγίαν*, hanc *ναυαγηίαν* vocabant. Illa autem mercatura, quae in vertendis commutandisque frugibus in terra patria genitis versabatur, *παράσασις* nominabatur. Sine agrorum cultura, qua nihil dulcius, nihil uberiorius fingi potest, vitam tolerare haud potuissent; quare alii tellurem exercabant agrosque colebant. Summos viros, quin etiam reges, olim cultioni agrorum vacasse, satis patet ex prisca historiarum monumentis. Alii, quibus curta supellex erat domi, artes sellularias, quae vel honestae vel minus honestae habebantur, addiscebant, vietumque sibi illis parabant. Alii denique arma tractabant, lanistaeque, ut artem vibrandorum armorum callerent, dabant operam. Incolumitas enim reipublicae diurna esse nequirit, nisi essent, qui hostes patriae repellerent, illatam iniuriam vindicarent, ciuibusque praestarent securitatem. Quam diu itaque Graeci sic suos filios educandos instituendosque curabant, vnuquisque illorum aliquid facile ad communem utilitatem afferre poterat. Ex quo autem mollitiae se dabant, de imperio decertabant, artesque et liberales et illiberales negligebant, de illorum salute erat aetum. O felix igitur respublica, terque quaterque felix, cuius ad clavum sedet Princeps, cui semper ciuium felicitas est proposita, qui que suam curam in eo ponit, ut litterarum studia artesque omnes efflorescant. Omnium sane ingratissimi essemus, nisi CAROLI, Ducis Brunsuicensis et Luneburgensis, Patris Patriae longe Clementissimi, prouidam mentem, qua utilitati publicae promouenda inuigilat, mente piissima veneraremur. Artes antea ciuibus suis plane incognitas magnis sumtibus suas

i) de Educ. liber. p. m. 83.

k) de Orat II. 9.

suas in regiones intulit; quas ciues sui aeque iam dextre promteque ac exteri exercent, hacque ratione nullum laborem recusantes, non modo vitam sustentare, sed etiam cum exteris quaestuofam mercaturam instituere, atque ita multo facilius, quae terra nostra non profert, possunt inuehere. Quanto autem amore in musas ducatur, vel potius rapi videatur, Seminaria reipublicae, scholas dico, Gymnasia et Julio-Carolinam illam academiam lacte florentem, satis testantur. Tanta Serenissimi nostri Principis est gratia, tanta munificentia, qua litterarum officinas complectitur, souet, ornatque quam clementissime, ut seram aliquando posteritatem historiarum tabulis vix fidem habituram esse, sentiam. Nec tamen Pater noster Patriae Optimus satis habuit scholas et Gymnasia habere, in quibus liberales artes disciplinaeque ad humanitatem pertinentes doceantur, et hoc modo iuuentus litteris mancipata ad studia academica preeparetur. Nouum condidit Collegium a Serenissimo fundatore *Carolinum* appellandum: in quo non solum linguae tradantur ad consequendam eruditionem necessariae, sed etiam omnes disciplinae artesque, quibus nemo, qui aliquando in eruditorum censum cupit referri, et simul honestam suauiemque vitam agere, seque rei publicae vtilem gestit efficere, carere potest. Summas igitur CAROLO, Serenissimo Duci Brunsvicensi et Luneburgensi, maximasque demississime ago gratias, quod me quoque professoribus in Carolino bonas artes publice profitentibus quam gratiosissime voluerit adscribere, meque antiquitates Graecas, quarum cognitio et maxime necessaria et admodum iucunda merito habetur, iussit interpretari. Quis enim, quaelo, rituum cognitione, qui apud eos viguerunt, destiturus, auctores graecos recte poterit intelligere?

Quid? quod saepius in interpretandis latinis auctoribus aqua haerebit, nisi illa in subfidium vocetur. Sic *victorem Olympiae citare* <sup>1)</sup>, longe aliud quid significat, quam plerique interpretantur: et vel Horatius in primo carmine nos id docet, ita canens:

Sunt, quos curriculo puluerem *Olympicum*  
Collegisse iutuat: metaque feruidis  
euitata rotis, *palmaque nobilis*  
*terrarum dominos euhit ad deos*,

Cicero in Oratione pro *Flacco* <sup>m)</sup> ludorum olympicorum victores cum illis, quibus Romae triumphus fuit decretus, confert, et expresse affirmat, prope maius

<sup>1)</sup> Corn. Nep. in Praef.  
<sup>m)</sup> Cap. III.

*BRD 580*

maius et gloriōsius esse apud graecos citari victorem, quam Romae triumphare. Eam aequem multum vtilitatis interpretandis tabulis noui fœderis afferre, nemo negabit, nisi qui sacrae hermeneutices expers est. Quid enim illud sibi vult in apocalypsi Ioannea <sup>n)</sup>: καὶ ἔστω αὐτῷ ἡγεμονία τῆς γῆς; Certe nihil aliud, quam omnium criminum accusatione illum liberabo. Ac iis verbis Ouidius <sup>n)</sup> lucem quandam inferre videtur, cuius versus, qui afferantur, haud indigni sunt.

*Quae (vrna) simul effudit numerandos versa lapillos.*

*Omnibus e nigro color est mutatus in album.*


Quare in interpretandis graecorum antiquitatibus id sedulo sum aeturus, vt omnia quae vel scripturae S. vel auctorum Graecorum et latinorum interpretationi quicquam foenerare lucis videntur, diligenter obseruem, et auditoribus exponam perspicue. Vos itaque, Generosi Nobilissimique iuuenes, ad has meas scholas ea, qua par est, humanitate inuitio: nec est, quod de Vestra diligentia addubitem, aut vestram frequentiam desperem, Haec enim est voluntas *Herculis* nostri *Musagetæ* longe clementissimi, vt bonis litteris pristinus suus et antiquus perfest splendor. Caeterum pro incolumitate Patris Patriæ Clementissimi, totiusque familiae Serenissimæ, preces meas, quas quotidie facio, vestris adiuuante ardentissimis. Sic enim fiet, vt omnia in DEI honorem cedant, vtque spei et voto Principis nostri sapientia pariter et clementia longe eminentissimi, satisfiat cumulate. Scribebam Brunsui-gae d. Octobr. CIO MCC XLV.

---

<sup>n)</sup> Cap. II. 17.

•) Metamorph. XV. 44. 45.





430, 17.

X 23 AGN 19

II  
g  
580

# CVRA GRAECORVM VETERVM

QVAM IN EDVCATIONEM FILIO-  
RVM IMPENDERVT  
PAVCA PRAEFATVS

# IVVENES BONIS LITTERIS DEPITOS

AD AVDIENDAS IN CAROLINO  
ANTIQUITATES GRAECAS  
INVITAT HYMANITER

M. IO. DAVID HEVMANNVS,  
COLLEGI CAROLINI PROFESSOR EXTRA ORDINEM PVBLICVS,  
ET GYMNASII DVCALIS CATHARINIANI  
CORRECTOR.

BRVNSVIGAE LITTERIS MEYERIANIS



134